ROK I. ZESZYT II.

MINERWA

CZASOPISMO POŚWIĘCONE FILOLOGJI KLASYCZNEJ I LITERATURZE POLSKIEJ

Wydawane nakładem i pod redakcją
STANISŁAWA ZETOWSKIEGO

TREŚĆ NUMERU:

WARSZAWA (VARSOVIE) 1922.
GŁÓWNY SKŁAD: KRAKÓW, UL. ŻÓŁKIEWSKIEGO 64. REDAKCJA.
CZCIONKAMI DRUKARNI ZYGMUNTA JELENIA W TARNOWIE.

De Demetrio Cynico

scripsit Stanislaus Zetowski.

Casu saepe accidit, ut de vita scriptisque hominum, quorum merita aut in doctrinam aut in alia studia maxima sunt, exiguae brevesque mentiones eaeque fabellis et aliis commenticiis narrationibus obscuratae proditae sint litteris et, quod magis dolendum est, scripta eorum invidia temporum penitus fere interierint. E quibus unus fuit Demetrius Cynicus, qui, etsi nihil novi in doctrina Cynica invenerat neque addiderat, aditum doctrinae Cynicae Romam non solum patefecit, sed etiam munivit, ut recte caput scholae Cynicae temporibus imperatorum Romanorum vocari possit. Cum vitae fragmentaque aliorum Cynicorum, qui aetate imperatorum Romanorum fuerunt, iam a viris doctis perscrutata sint[1]), similem Demetrius tractationem desiderat. Arnim in Paulys-Wissowa Realenc. (v. 5, col. 2843—2844) totam rem non exhausit. Frustula Demetrii per libros scriptorum dispersas colligere lucemque nonnullis quaestionibus, ad vitam philosophiamque pertinentibus, afferre, propositum huius operis sit.

Non mihi videbor aberrare a negotio proposito, si antequam de Demetrio exponam, ut eius merita clariora procedant, pauca de historia scholae Cynicae deque antecessoribus Romae Demetrii proferam.

De tempore, quo vigebat secta Cynica, a Diogene Sinopensi constituta, a Cratete Thebano exculta[2]), ambigitur.

---

[1]) cfr. Th. Saarmann „De Oenomao Gadareno". Tüb. diss. Lips. 1887; H. v. Arnim „Leben und Werke des Dio von Prusa". Berl. 1898; F. V. Fritsche „De fragm. Demonactis" Lips. 1866; K. Funk „Untersuchungen über die Lukianische Vita Demonactis" Philol. Suppl. Band. 10, 1907. p. 55 sq.: K. Prächter „Cebetis tabula" Diss. Marburg 1885; W. Capelle „De Cynicorum epistulis" Göttingen 1896; R. Asmus „Der Kyniker Sallustius bei Damascius". Neue Jahrb. 25, 1915. p. 504 sq.

[2]) De vita doctrinaque Diogenis et Cratetis cfr. praecipue Eduard Schwarz „Charakterköpfe aus der antiken Literatur" zweite Reihe Lips. 1911.

Nonnulli viri docti Menedemum ultimum Cynicum vocant et contendunt post eius mortem scholam Cynicam cum Stoica coaluisse[1]), aut in Epicuream sectam degenerasse[2]), et Augusti imperatoris temporibus[3]), quorum mentio in Cynicis epistulis inveniatur, aut eius successorum revivixisse[4]). Maiore cum cautione Willamowitz autumnat scholam Cynicam numquam emortuam esse, licet, qui eam professi sint, post Menedemum nominatim afferri nequeant[5]). Indagatio fontium Dionis orationum et Diogenis epistularum copiam scriptorum plenorum Cynicorum doctrina, e quibus Varro, Cicero et Philo pendent, in lucem protulit. Re vera doctrinae Cynicae vestigia negari non possunt, quaestionem autem Romaene rei publicae temporibus Cynici fuerint diluemus, si diligenter perscrutemur, quid antiqui Romani de Cynicis censuerint.

Maximi momenti est Ciceronis iudicium de Cynicis (de off. I, 41, 148), ubi eam sectam cum contemptione tractat, cum minus verecundiae habeat „Cynicorum vero ratio tota est eicienda; est enim inimica verecundiae, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum". Zeller (III. 1 p. 766, a. 1880. in adn. 1) refert eam Cynicorum[6]) reprehensionem ad Cynicos, qui Romae t u m f u e r a n t. Igitur Romani dum Cynicos e scriptis noverunt, praecepta eorum admirabantur, cum autem eos intra muros suae urbis vagantes vitamque liberam et nullis adscrictam vinculis agentes animadvertissent, invidebant eis, quorum mores dignitati disciplinaeque

---

[1]) Zeller II. 1[4] p. 335.

[2]) Norden Beiträge. Ber. 1892 p. 392; G. Süpfle Archiv. f. Philos. IV. 1891 p. 420. a. 15.

[3]) Marks „Symbola critica ad epistolographos Graecos" Bonn. 1883.

[4]) Zeller III. 1[4] p. 764; Caspari „De Cynicis, qui fuerunt aetate imperatorum Romanorum". Progr. Chemnitz. 1896; P. Wendland „Quaestiones Musonianae". Berl. 1886 p. 167 a. 2 et „Die hellenistisch-römische Kultur in ihrer Beziehungen zu Judentum et Christentum" Tübing. 1912. p. 45; Helm „Lucian und Menipp." Lips. 1906 p. 347, 384; W. Schmid in Paulys-Wiss. Realenc I. col. 2018; Jougouet Lefebrve B. B. C. H. 28, 1904 p. 203.

[5]) Willamowitz „Antigonos Caristes" Phil. Unt. V. 1881 p. 299.

[6]) Gerhard „Foiniks von Kolophon" Lips. 1909 p. 171; Capelle „De Cynicorum epistulis" Göttingae, 1896. p. 58, et p. 47, p. 54; Wendland Beiträge p. 4.; A. Dyroff. Arch. für Philosophie XIII. 1900. p. 140; K. Prächter. Burs. Jahresber. 108, 1902. p. 165.

Romanae contrarii fuerant. Non solius Ciceronis hanc fuisse opinionem aliosque Romanos Cynicos contempsisse potissimum ex eo apparet, quod, cum Varro Reatinus perspicue non solum formam Menippi saturae imitatus sit, sed etiam sententias Cynicas protulerit, nemo eum Romanorum auctorum neque rei publicae temporibus, neque posterioris aevi Cynicum vocavit. Primo Tertuliano videbatur dignus, qui Cynicus vocaretur (apol. c. 14. „et Romanus Cynicus Varro trecentos Ioves sive Iuppiteres dicendum sine capitibus introduxit", aut ad nat. I. 10. ubi Romani stili Diogenes appellatur.[1]) Aperte de Marco Favonio Cynico, Catonis amico, rei publicae temporibus Plutarchus in Bruto (34) narrat. Quo loco Zeller (III. 1 p. 766 adn. 1) licet confiteatur Plutarchum verbis ἁπλοκύων[2]) καὶ ψευδοκύων, quae Cynicum significarent, Favonium nominavisse, tamen de schola Cynica concludere Romae caute verebatur. Non nominatim Cynicum affert Cicero in epistula ad Att. II, 9, I. „etenim, quantum coniectura auguramur, si erit nebulo iste eum his dynastis in gratia, non modo de Cynico consulari, sed ne de istis quidem piscinarum Tritonibus poterit se iactare".[3]) Quid? fuit et tertius Cynicus Romae rei publicae temporibus? Ex eis, quae de Q. Aelio Tuberone Cicero tradidit, coniectura capi potest Tuberonem ad Cynicos inclinasse. Vitam igitur paulo severiorem, quam Stoicorum doctrina poscebat, agebat (Cic Brut. 31, 117) „vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat, paulo etiam durior". Capimus fortasse Ciceronem in flagranti, qui Tuberonem timet Cynicum aperte nominare, et quadam circuitione utitur. Alio loco (Brut. 117), quo ingenium facultatemque eius dicendi definit, repetit „ut vita sic oratione[4]) durus, incultus, horridus itaque honoribus maiorum respondere non potuit". Adiectiva ad Cynicum perapte accommodantur. Sua sponte ut Cynicus paupertatem passus est, etiam (Sen. ep. 98, 10) „Capitolio iudicavit,

[1]) Non est levis momenti, quod Varro saturas suas non vocavit Cynicas sed Menippeas (Tert. ad nat. II. 18, 7 Varronis saturas alii Cynicas, ipse appellat Menippeas).

[2]) Diogenes Laert. attribuit, idem cognomen Anthistheni.

[3]) Videtur esse M. Pupius Piso Calpurnianus consul anno 61 ant. Christ. nat. (cfr. Thesaurus linguae Latinae. Onomasticon. vol. II. Lips. 1907—1913).

[4]) De genere dicendi Bruti scripsit Morawski Eos. 1911. p. 1 sq.

cum fictilibus in publica cena usus ostendit, debere iis homines esse contentos, quibus di etiamnunc uterentur". Intellegimus etiam cum Romani Cynicos spernerent, indignationem eorum in Tuberonem, qui eum indignum suis honoribus putaverint; totam rem Cicero in oratione pro Murena (36, 75) exponit et non sine causa Diogenem Cynicum commemorat; „ille homo cruditissimus ac *Stoicus* stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos et exposuit vasa Samia, *quasi vero esset Diogenes Cynicus mortuus* et non divini hominis Africani mors honestaretur; quem cum supremo eius die Maximus laudaret, gratias agit dis immortalibus, quod ille vir in hac republica potissimum natus esset; necesse enim fuisse ibi esse terrarum imperium, ubi ille esset. Huius in morte celebranda graviter tulit populus Romanus hanc perversam sapientiam Tuberonis; itaque homo integerrimus, civis optimus, cum esset L. Pauli nepos, P. Africani, ut dixi, sororis filius, *his haedinis pelliculis praetura deiectus est.* Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit; non amat profusas epulas *sordes et inhumanitatem multo minus;* distinguit ratione officiorum ac temporum vicissitudinem laboris et voluptatis". Qua in oratione Ciceroni, qui benevolentiam auditorum ut orator sibi conciliaret, Tubero nominandus Stoicus erat, ne animos auditorum offenderet. Ipsum Cynici nomen impudentiae crimen indicabat (Quint. IV. 2, 30) „nam quid exponet, qui zelotypum malae tractationis accusat? aut qui Cynicum apud censores reum de moribus facit cum *totum crimen uno verbo* in qualibet actionis parte posito satis indicetur". Seneca in epistula 104, 21 Tuberonem una cum Stoicis enumerat „ad meliores transi; cum Catonibus vive, cum Laelio, cum Taberone", quod interpretationi, quam adhibuimus locorum supra commemoratorum non refragatur; scimus enim minimum discrimen inter omnes philosophiae sectas[1]) et praecipue inter Stoicos et Cynicos intercedere, ut saepissime commutentur (Sen. ep. 14, 14) „interim ad hos te *Stoicos* voco, qui a re publica exclusi secesserunt ad colendam vitam et humano generi iura condenda sine ulla po-

[1]) Sen. dial. II. 1, 1, „tantum inter Stoicos, Serene, et ceteros sapientiam professos interesse, quantum inter feminas et mares non immerito dixerint".

tentioris offensa. Non conturbabit sapiens *publicos mores nec populum* in se vitae novitate convertit".

Quasi praeteriens fontem, e quo Plutarchus hausit tangam. In componenda Catonis vita usus est Plutarchus Thraseae Paeti „Catone", cuius auctor, fautor Cynicae doctrinae Favonium sine dubio, ut priorem Cynicum, summis laudibus extulit[1]).

Quae cum ita sint, negari non potest Cynicos rei publicae temporibus, quod Kiessling-Heinze in praefatione Horatii saturarum editionis commemorat[2]), fuisse; quorum nomina proferre non potuimus, quamquam inter Stoicos prope Cynicos et Romanos invenimus.

Non perseveraverunt Romani antiqui in hoc de Cynicis iudicio; primus qui Cynicum aestimaverit, fuit Seneca, a quo Demetrius Cynicus maximis laudibus celebratus sit. Sed tempora iam mutata sunt; iam Romani virtuti favebant (cfr. Tac ann. XVI, 21). Cum partibus imperatorum non faverent, sed eorum mores summa cum audacia Cynici castigarent, iram atque odium eorum excitabant: quae causa fuit, ut eos Vespasianus imperator cum aliis philosophis ex urbe Roma expulerit[3]); item singulos Cynicos singuli imperatores urbe excedere iubebant; Nero Isidorum eiusque aequalem Demetrium, Antoninus Pius Peregrinum Proteum Italia expulit. Titus imperator, qui Berenicam Iudaeam in matrimonium ducere voluit, qua de causa duo Cynici Diogenes et Heras in theatro frequentissimo eum summis cum contumeliis invecti sunt, unum verberibus alterum morte damnavit. Atqui inventi sunt, quibus imperatores faverent. Apud Herodianum[4]) philosophus, qui, si e vestitu conicere licet, sine dubio Cynicus fuit, imperatorem in theatro commonet, ut a Perennio inimico caveat; in aulam Constantii Cynici „κολακεύοντες ἅμα καὶ ὑλακτήσαντες καὶ βίβλια δόντες" pe-

---

[1]) De fontibus vitae Catonis cfr. A. v. Gutschmid kl-Schrifte V. 359.

[2]) Berl. 1910 p. XVI. „so werden in den letzten Zeiten der Republik jene sonderbare Prädiger mit langem Bart und dürftigen Rock in den Strassen Roms ihr Wesen zu treiben begonnen haben, die das Achselzucken der Blasierten und den Hohn der Strassenjügend nicht scheuten, um den Weg zu den Ohren und Herzen derer zu finden, die ihrer bedürften.

[3]) Cassius Dio 66, 13.

[4]) Ab excessu divi Marci I, 9, 3.

netrabant[1]). Iuliano ipsi Cynico gratus erat ille Cynicus, qui pera atque baculo instructus, non procul a Vesontione ei obvius factus est[2]). Maximus Iuliani praeceptor eiusque epistulis nobilitatus, fuit Cynicus. Imperatores ex Africa et Syria orti Cynicos non oderunt, ut Antiochum, cui honorem imperator Severus et Cavacalla tribuit miris de causis, quod exemplum militibus in hibernis expeditionibus tolerandi frigoris praebebat[3]).

Hae erant condiciones, in quibus Cynici aetate imperatorum praecepta sua divulgaverunt. Opiniones scriptorum, qui tum erant, paulo infra perstringam, nunc ad fontes Demetrii vitae accedo.

De fontibus vitae Demetri Cynici.

Cynici non solum sectatores et admiratores, sed etiam praecones suae virtutis inveniebant. Cratetis *ἀπομνημονεύματα*[4]) Zeno, eius discipulus[5]), Demonactis et Sostrati Cynici cuiusdam, quos ipse vidit et valde admiratus est, Lucianus[6]), Musonii, qui etsi Stoicus fuerit, eodem fere iure Cynicus esse potest, Polio quidam composuit, Peregrini Protei famae Gelius vindex exstitit, Theagenis auctoritatem Galenus testatur. Demetrii vitam nemo fortasse eorum, qui eodem tempore vixerunt, scripsit, quamquam posteritas et ei similem honorem non denegavit (Eunap. vit. soph. p. 454 Boiss[2] *τούτων* (scilicet Demetrii, Musonii, Menippi) *δὲ σαφεῖς μὲν καὶ ἀκριβεῖς οὐκ ἦν εὑρεῖν τοὺς βίους, ἅτε μηδενὸς συγγεγραφότος, ὅσα γε ἡμεῖς εἰδέναι, ἱκανοὶ δὲ αὐτῶν ἦσάν τε καί εἰσι βίοι.*) quarum nulla servata est, ut relegemur ad illa, quae ab aliis auctoribus maxime cultoribus atque admiratoribus de scholis et vita egregii viri memoriae tradita sunt. Quorum primum locum obtinet Seneca. Qui coniunctus cum eo non solum affinitate studiorum sed etiam amicitia, maximis laudibus eum effert. *Optimum virum* vocat (ep. 19, 16, 8 Demetrium virorum optimum mecum circumfero) aut egregium

---

[1]) Iulianus or. VII. 224 d.

[2]) ep. Iuliani. 37. Hercher.

[3]) Bernays „Lucian und die Kyniker" Ber. 1879. p. 30.

[4]) De hoc genere cfr. Koepe „Über die Gattung der *ἀπομνημονεύματα*" Brandenburgia 1857.

[5]) Diog. Laert. VII. 4.

[6]) Dem. vit. 56, 67.

virum (nat quaest. IV, a. praef. 7 et de beneff. VII. 9, 2 reddendum egregio viro testimonium est). Cognomen *optimus* auctores Cynicis raro largibantur; sic Heracli, patrono Cynico, Teles[1]) et Lucianus[2]). Hominum idem honor Demonacti a Luciano et Pegrenino Proteo in oraculo Sibillino[3]) attribuitur[4]). Non mediocrem laudem Demetrii exhibet de beneff. VII. 1, 3, „vir meo iudicio magnus, etiamsi maximis compararetur", aut de beneff. VII. 8, 2, „paulo ante Demetrium rettuli, quem mihi videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet nec illum a nobis corrumpi posse nec nos ab ullo corrigi posse, virum exactae, licet neget ipse, sapientiae et sq..." Non tamen omnes scriptores Cynicos laudibus celebrabant; qui cum veteres laudarent, illo tempore viventes condemnabant. Petronius Cynicos[5]) „non numquam nummis vendere vera" dicit. Condemnat eos etiam Quintilianus[6]) „quid... exponet, qui Cynicum apud censores reum de moribus facit, cum totum crimen uno verbo, in qualibet actionis parte posito, satis indicetur". Inopes Cynicos laudat Martialis in epigram. XI. 84, 7 sq. „tondeat hic inopes Cynicos et Stoica menta — collaque pulverea nudet equina iuba". Epictetus, quamquam Cynicos in dissertatione III. 22 laudibus illustrat, queritur passim obvios conviciis incessere stipemque rogare et eos *τραπεζῆας πυλαώρους* indignos veteribus Cynicis nominat. Cum quo consentit Dio Chrysostomus[7]). Iam vero Lucianus, quaecumque inveniuntur apud homines vitia, ea Cynicis exprobrat (Lapithae, Piscator, Fugitivi). Etiam Athenaeus[8]) multorum eos vitiorum arguit, qui convivii magnum numerum Cynicorum, quorum princeps Cynulcus cibi avidissimus, fingitur, participem fecit. Cynulcus Ulpianum rhetorem gravissimis verborum contumeliis vexavit[9]); deinde inter pocula somnum

---

1) p. 20, 8 sq. H.
2) Cyn. 13.
3) De mort. Peregrini 30.
4) Theseo Luc. Cyn. 13; Hermodoro ep. Heracl. 9 p. 286, 43 H; aut ep. 3 p. 280; Taleti Phoinix „Gerhard Phoinix von Kolophon". Lp. 1906 fr. 4 v. 2 p. 194.
5) 14.
6) instit. orat. IV. 2, 30.
7) XXXII. 658 R.
8) *Δειπνοσοφιστῶν.*
9) 97 f.

cepit, odore unguenti, quo os dormientis oblinitur, experectus, vehementer in unguentorum usum invehitur. Cynici alii maledici et gulosi, alieni a virtute, ad omnes vitae usus inutiles appellantur. Accedit, quod illi cenae Melissa theatrotoryne et Nicion cynamyia, meretrices famosae adsunt, quorum consuetudo Cynicos abstinentiam professos minime decet. Alciphron[1]) negat Cynicos pudorem curare et ea, quae praeterea eos in Scamonidis convivio foeda fecisse narrat, optime cum Luciani „Convivio" concordant, nisi quod Pancrates Cynicus vocatus in convivium cum impetu irrumpit et plerosque proturbat, quam intemperiem Cynicorum fuisse Plutarchus quoque testatur, qui Didymum Planetiadem in medium prosilientem, terram baculo pulsantem argumentaque exclamantem fingit. Multa crimina Iulianus imperator, ipse Cynicus Cynicis obicit[2]); aliis omissis, quae iam alii scriptores commemorant, unum proferam eos non solum opulentorum hominum auribus graves fuisse sed etiam horrorem plebeculae iniecisse. Posteriorum auctorum Augustinus Cynicis laudes impertit[3]).

Vidimus persaepe auctores Cynicos laudibus celebrasse. Vera admiratio, sine ira et studio vitam factaque recensens, interdum verecundiam atque horrorem nonnullis auctoribus erga Cynicos iniecit, quorum fidem pro certam necesse sit habere. Omnia igitur, quae Seneca de Demetrio commemorat, summae nobis sunt fidei, quod et testis vitae Demetrii et eruditissimus homo fuerat; amicitia autem et admiratio non sufficiebant, ut eum a vero deflecterent, praesertim cum et Favorinus in suis orationibus Demetrium honorifice meminerit (Philostr. vit. Apoll. IV, 8) *„ἐν Κορίνθῳ δὲ φιλοσοφῶν ἐτύγχανε τότε Δημήτριος ἀνὴρ ξυνειληφὼς ἅπαν ἐν κυνικῇ κράτος, οὗ Φαβωρῖνος ὕστερον ἐν πολλοῖς τῶν ἑαυτοῦ λόγων, οὐκ ἀγεννῶς ἐπεμνήσθη"*. Quocirca non dubitamus *testimonia Senecae*[4]) *pro primario fonte* eius vitae adhibere.

[1]) III, 40.
[2]) cfr. p.
[3]) August. de civ. Dei XIV. 20.
[4]) Noster Rostworowski in fabula, quae inscribitur, Caius Caesa Caligula (Cracoviae 1918) Demetrium depingens III. 9 ex Seneca pendet. Quod ut comprobes, vellim conferas Dem. (Sen. ep. 67, 14, qui vitam securam et sine ullis fortunae incursionibus mare mortuum vocat) et apud Rostw. Dem. „życie to jak martwe morze — albo chory bez doktora"

Quam bonam Demetrii famam Tacitus in hist. IV. 40 cum ex parte tentaverit („diversa fama de Demetrio, Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius, quam honestius defendisset), tamen e parte comprobavit.

Plurima de Demetrio in Philostrati Lemni opere, quod inscribitur „vita Apollonii Tyanensis", asservata sunt. Quid autem de fide auctoritateque Philostrati iudicemus? Ficta et commenticia esse omnia, quae ad Apollonium spectent, praeter profectionem ad regem Vardanem, contendit Christ-Stählin[1]). Arnim contra in vita Demetrii componenda hinc et illinc veritatem, ut ita dicam, crassis occultatam et circum fusam tenebris elicere studuit.

Quatenus in singulis de Demetrio commemorationibus veritas lateat, pro mea parte virili iam hoc loco et aliis demonstrare curabo. Nonnulla sunt, quae cum aliis auctoribus non discordent. Seneca de beneff. VII, 8, 2 laudat Demetrii firmam in iis, quae proposuit, constantiam; cuius constantiae documentum praebet in vit. Apoll. V, 19 *μετὰ γὰρ τὸ Νέρωνος βαλανεῖον καὶ ἃ ἐπ' αὐτῷ εἶπε διῃτᾶτο 'Αθήνησιν ὁ Δημήτριος οὕτω γενναίως, ὡς μηδὲ τὸν χρόνον, ὃ Νέρων περὶ τοὺς ἀγῶνας ὕβριζεν, ἐξελθεῖν τῆς 'Ελλαδὸς".* Lucianus (adv. indoct. 19) et Philostratus. (IV, 8) de Demetrii profectione post exilium Corinthum consentiunt. De vi atque facultate dicendi verba Senecae (de beneff. VII, 2) „eloquentiae vero eius, quae res fortissimas deceat, non concinnitae nec in verba sollicitae, sed ingenti animo prout impetus tulit res suas persequentis" et Philostrati (VII, 7) *οἶδα ὡς δεινὸς εἶ, Δημήτριε, λόγους συντεμεῖν πάντας"* cum e parte non abhorreant, tamen e parte continent contraria. Ambo enim vim Demetrii eloquentiae laudant; Philostratus acutum et vehementem, si Morelli interpretationem Latinam non respuimus, Demetrium fingit[2]).

[1]) Gesch. der griech. Lit. II. 5 p. 291 „was dieser aber über seine Tätigkeit als eines religiös-sittlichen Reformators im Sinn des Neupithagoreimus, als eines nationalhellenischen Reorganisators im Sinn der Neusophistik, über seine Reisen im ganzen römischen Reich herum bis zu den Weisen Indiens und Aethiopiens, über seinen teils freudlichen teils feindlichen Verkehr mit grechischen Philosophen (Eufrates, Demetrius, Dio von Prusa) erzählt, hat keinerlei Gewähr. Der einzige sichere Punkt in seiner Biographie ist sein Besuch bei König Vardanes in Parthien.

[2]) In manibus habui interpretationem Latinam Morelli in editione operum Philostrati (Philostrati Lemni opera, quae exstant omnia) Paris 1608.

Optimus Cynicus, quem Epictetus in diss. III. 22 probat, acutum ingenium necesse est ut habeat[1]; tamen ira iracundiaque alienae sunt a persona egregii Cynici[2]. Inveniuntur tamen et alia indigna bono Cynico; quibus comparatis perspicuum erit, quomodo Demetrium Philostratus descripserit.

Postquam Apollonius obviam Demetrio venit, consalutavit eum ex Homero parodia hausta, quae maiorem risum movet, si meminimus Cynicos saepe sententias interdum totos versus Homeri in scholiis citasse[3]: *εἴληφά σε εἶπε, τρυφῶντα καὶ τῆς εὐδαίμονος Ἰταλίας, εἰ δὴ εὐδαίμων, τὸ μακαριώτατον οἰκοῦντα, ἐν ᾧ λέγεται καὶ Ὀδυσσεὺς Καλυψοῖ ξυνὼν, ἐκλαθέσθαι καπνοῦ Ἰθακησίου καὶ οἴκου*... Crimen amoris indignum Cynico, qui abstinentiam professus est, persaepe in ore inimicorum philosophiae erat (Sen. ep. 29, 5) „obiciet philosophis congiaria *amicas* gulam, ostendet mihi alium *in adulterino*, alium in popina, alium in aula" aut severorum virorum indignationem movebat ut Ciceronis (Tusc. disp. II, 4, 11) „quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut iis fuerit non didicisse melius, alios pecuniae cupidos, gloriae nonnullos, multos *libidinum servos*, ut cum eorum vita pugnet oratio". Cum ambo philosophi sub platano, ut disputarent, consedissent, incipit Demetrius a laudatione cicadarum[4], cui generi eloquentiae sine dubio Cynici inimici erant. Quapropter recte Dio Chrysostomus Cynicos, qui ostentationis causa „*ἐπιδεικτικοὺς λόγους*" componunt, reprehendit[5]. Metus a morte, quam apud Philostratum Demetrius, qui in vita totiens documenta contemnendae mortis dederit, totus horret tremitque, ut iam Apollonius eum recte vituperet (VII, 6), nullo modo cum Demetrio congrui potest. Inveniebantur Cynici praesertim, ut ita dicam, sentina Cynicorum, qui non dubitarent gloriari se mortem timere, ut Aegyptius Cynicus quem Iulianus in or. VI. (181 B) perstringit. Saepe ut risum moverent, fingebant auctores Cynicos cum hoc mortis metu; sic in Luciani „De morte Peregrini" Theagenes Cynicus,

[1] III, 22, 90.
[2] III, 22, 13.
[3] Cfr. Arnim „Dio von Prusa" p. 167 sq.
[4] VII, 5.
[5] or. ad Alex. 10.

quem etiam aliis locis Lucianus condemnat, mortem timet, ut recte in oraculo de morte Theagenis *δειλός* appelletur.

Quorsus haec colligimus? Ut ostendamus Demetrio Philostratum eos colores dari, qui eum pravum Cynicum, philosophum „*ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν*“ significarent. In suo opere hilaritatis potissimum causa fingebat Cynicum unum de eis, quorum multi semper inveniebantur, qui ut verbis Quintiliani[1]) utar „non virtute ac studiis, ut haberentur philosophi laborabant, sed vultum et tristitiam et dissentientem habitum pessimis moribus praetendebant“. Quae minime Demetrium decent, scimus eum non solum „praeceptorem veri“ sed etiam „*testem*“ fuisse. Luciani dialogus, qui *Τόξαρις ἢ περὶ φίλιας* inscribitur[2]), multa de Demetrio Cynico continet. Incerti sunt viri docti utrum alius Demetrius Cynicus fuerit an non. Ut priores omittam recentioris aetatis Zeller[3]) et Jacobitz in editione Luciani scriptorum (Lipsiae 1914) alterum Demetrium fuisse autumnant; Caspari[4]) tentat illam opinionem; Teuffel[5]) non invenit causam, cur ambo separaret.

Tota Luciani narratio amplificandae amicitiae, in qua colenda Demetrius Neronianus — liceat me eum hoc nomine discernere — excellebat, servit. Seneca, Thrasea Paetus eius amici erant. Quae res bene Demetrio Neroniano accommodata est. Ut autem diiudicemus aliusne Demetrius fuerit, primum investigari oportet, num e dialogo tempus, quo vivebat Luciani Demetrius stabilire possimus. Aliquod adminiculum praebet profectio Demetrii in Aegyptum, ut oriente sole sonum edentem audiat Memnonis statuam, quae Alexandro Severo imperatore sonare desisse fertur. Cum terminum „ante quem“ cognoscamus, terminum „post quem“ nullo modo reperire possumus. Ne nomen quidem Rhodii sophistae ad aetatem indagandam, quidquam confert. In ambiguo est enim, utrum Rhodius civis an nomen sophistae Rhodius fuerit. Cum alii viri docti

---

1) inst. or. I. praef.

2) Lucianum dialogi auctorem putat J. Guttentag „De subdito, qui inter Lucianeos legi solet, dialogo Toxaride“ diss. Beroll. 1860 et Kretz „de Luciano dialogo Toxaride“; Progr. Offenburg. 1891, aliter atque Sinko „de Luciani libellorum ordine et mutua ratione“ Eos. 1908. p. 123.

3) III, 1, p. 768 adn. 6.

4) De Cynicis, qui fuerunt aetate imperatorum Romanorum progr. Chemnitz 1896, p. 11.

5) Gesch. der Lat. Lit. p. 287, adn. 1.

offenderent in eo, quod Rhodius ille dicitur et sophista et Cynicus fuisse, alii qui, unde cognoverint, nescio, Rhodium et Agathobulum idem fuisse contendebant. Primi non animadverterunt tempestate imperatorum sophistas simulque Cynicos fuisse (profero Diogenem, qui Vespassiano imperatore floruit, et Antiochum Aegeam Cilicem, discipulum illius Dionysii, quem Hadrianus maximi fecit), alteri iam ex Luciani „vita Demonactis“ perspicere debebant non posse Rhodium illum sophistam Agathobulum eiusque discipulum Demetrium esse, ubi[1]) haec leguntur „οὐκ Ἀγαθοβούλου οὐδὲ Δημητρίου πρὸ αὐτοῦ. Nihil ad tempus definiendum adferunt ea, quae de carcere, de poena, qua sacrilegi adfecti sunt, narrantur[2]).

In fine narrationis Lucianus facit Demetrium ad Brachmanas euntem, quo homo solus, nullis opibus praeditus illis temporibus pervenire non potuit. India cum Brachmanis fons sapientiae fuit; in eam primum Philosophia migrat[3]); cum Brachmanis vult se Theagenes Cynicus comparare[4]); etiam Philostratus Apollonium ad Brachmanas ducit. Motus fortasse ea re, quod Plotinus, ut Brachmanarum sapientiam cognosceret, Gordianum imperatorem adversus Persas proficiscentem comitabatur, hanc peregrinationem finxit. Obiter addo Plotinum imperatore in Mesopotamia necato non solum propositum suum non peregisse, sed magnis in periculis versatum in Aegyptum revertisse.

Vim amicitiae admirans praefectus Aegypti donavit Demetrium pecunia, quam ille libenter accepit et Antiphilo, amico suo dedit. Scrupulus mihi inicitur in animo volventi, quanta cum honestate dignationeque donum Caligulae respuerit, num ea in Demetrium quadrent.

Quae cum ita sint, ea quae, Lucianus de Demetrio a nullo alio auctore comprobata tradit, ficta esse concludimus, praeter personam Demetrii et amicitiam suo ingenio indulgens auctor finxit omnia. Quae autem dialogus Πρὸς τὸν ἀπαίδευτον (19) et dialogus περὶ ὀρχήσεως (62) de Demetrio exhibent, ubi primum artem saltatoriam condemnat, deinde laudat, in suspicionem non veniunt.

---

[1]) Dem. Lit. 3.
[2]) cfr. Guttentag. p. 24, p. 27. sq.
[3]) Lucianus. Fug. 6.
[4]) Lucianus. De mort. Per. 25.

Praeter hos auctores, quos supra enumeravi mentionem Demetrii Epictetus (diss. I, 25, 22), Suetonius (Vesp. 13) et Cassius Dio (LXVI. 13) faciunt. Quibus in commemorationibus nullus ex alio pendet. Fontibus enumeratis Demetrii vitam componere adgrediamur.

Vita Demetrii Cynici.

Neque annum natalem neque mortis certe definire possumus, unum est certum, Demetrium Athenis natum, (Suniensem eum Lucianus appellat; Σουνίου Atticus δῆμος fuit), e Graecia migravisse Romam propterea, quod illuc plurimos undique convenire et urbem maxime stultitiae et luxuriae plenam esse cognovisset, ubi homines sanandi atque vitiis liberandi magnam occasionem haberet. Sub Gaio, Nerone, Vespasiano imperatoribus floruit. Partibus Romae, quae contrariae erant imperatoribus eque notis in historia Romana personis praecipue philosophis Stoicis constabant, favebat. Caligula, ut sibi eum conciliaret, 200.000 sestertium ei donare volebat, quos ille maxima cum indignatione repudiavit, dequa re narrans Senecae hoc modo finivit (de beneff. VII. 11, 2) „si temptare me constituerat, toto illi fui imperio experiendus". Epistulae Senecae ad Lucilium scriptae, quae temporibus Neronis imperatoris exstiterunt, praesentiam Demetrii Romae corroborant[1]) ep. 20, 9 „ego certe aliter audio, quae dicit Demetrius noster, cum illum vidi nudum quanto minus quam in stramentis incubantem". Quapropter non solum Senecae sed etiam eruditissimorum hominum ora in se convertit; possidebat enim facultatem dicendi „quae res fortissimas deceat, non concinnitam nec in verba sollicitam, sed ingenti animo prout impetus tulit res suas persequentes", constantiam „firmam in eis, quae proposuit sibi" et fortasse venustatem[2]). Quae res ei multos amicos (Seneca, Thrasea Paetus) conciliaverunt; cum eo Seneca „relictis conchyliatis" saepe colloquitur. Anno 60 p. Chr. n. morti Thraseae Paeti ut amicus aderat. (Tac ann. XVI. 34) „illustrium virorum feminarumque coetus egerat, (sc. Thrasea)

[1]) cfr. Sen ep. 196, 8; De tempore Senecae epistularum cfr. Hilgenfeld „L. Annaei Senecae ep. mor., quo ordine et quo tempore sint scriptae, collectae, editae.

[2]) cfr. Epictus diss. III. 22, 90 et Luciani Dem. vit. 10.

maxime intentus Demetrio, Cynicae institutionis doctori...", cuius amicitiae causa a Nerone exilio damnatus est et a. 67 Athenas se contulit. Non reliquit Athenas, quamquam Nero eo tempore cantandi certaminibus in Graecia insaniebat[1]). Neronis ultimos annos imperii eum Athenis et Corinthi[2]) vitam egisse probabile esse videtur.

Roma, ut ita dicam, altera eius patria post Neronis mortem rursus eum ad se trahit. In causa Egnatii Celeris philosophi a. 70 defendit Egnatium contra accusationem Musonii, quod factum una macula in vita pura atque egregia huius Cynici fuit et ansam ad reprehensionem Tacito dedit (hist. 4, 40) „iustum officium explesse Musonius videbatur, diversa fama de Demetrio, Cynicam sectam professo, quod manifestum reum ambitiosius quam honestius defendisset". Actio Demetrii habet quandam excusationem; Egnatium Celerem familiaritate fortasse quadam coniunctam fuisse puto. Tamen culpa penitus non eluitur, cum audiamus de Egnatio iudicium Taciti (ann. XVI. 32) „cliens hic (sc. Egnatius) Sorani et tunc emptus ad opprimendum amicum *auctoritatem Stoicae sectae praeferebat habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans,* quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit exemplum *praecavendi quomodo fraudibus involutos aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallaces*". Non cognovit fortasse penitus Demetrius suum amicum, quem, ut ex iudicio Taciti apparet, difficile erat cognoscere; callidam simulationem non discrevit a vera Egnatii imagine. Temporibus Vespasiani denuo Romae in ipsum imperatorem, ut alii philosophi, acerrime invehitur, qua de causa Vespasianus Muciano auctore omnes philosophos Roma eiecit Demetriumque separatim in insulam relegavit[3]). Non probabile esse videtur, quod Philostratus narrat Apollonium Tito imperatori Demetrium commendavisse[4]); nam et familiaritas cum Appollonio ficta est[5]), praesertim cum uter-

[1]) Philostratus vit. Apoll. V. 19.
[2]) Luc. adv. ind. 19; Philostr. vit. Apoll. IV. 8.
[3]) Cassius Dio LXVI. (a. 71).
[4]) VI, 32.
[5]) Christ-Stählin II, 5, p. 291.

que alius sectae philosophiae sectator fuerit. In tempora Domitiani vitam Demetrii Philostratus[1]) extendit; si temporibus Domitiani vixisset, fuisset iam septuaginta annorum senex, quae res maxime suspicionem movet.

De scriptis Demetrii.

Oritur quaestio, num scripta relinquerit Demetrius. Quam ad quaestionem diluendam primum perserutemur, quomodo scriptores, qui frustula asservaverunt, verba Demetrii tradiderint. Seneca, qui de Demetrii fragmentis tradendis maxime meritus est, utitur potissimum his formis: de beneff. VII. 9, 1 „ingentem rem ab illo (sc. Demetrio) *dici audivi;* dial. I, 5, 5 „hanc quoque animosam Demetrii, fortissimi viri vocem *audisse memini*"; nat. quaest. IV. a. praef. 7. „egregium virum *memini dicere* cuidam libertino", ep. 67, 14 „hoc loco mihi Demetrius noster *occurrit;* dial. I. 3, 3 „inter multa magnifica Demetrii nostri *haec vox* est, a qua recens sum *sonat* et *vibrat in auribus meis;* de beneff. VII, 11, 2, „ingentem rem *ab illo dici audivi*". Verba *„dici audivi"* *„memini dicere"*, *„audisse memini"*, vox *a qua recens* sum suspicionem produnt Senecam sententias Demetrii in scholis auditas memoria complexum esse easque in scriptis suis tradidisse. Quam rem etiam confirmat ipsius confessio se non solum praeceptoris scholas creberrime frequentasse, sed etiam libenter privatim cum eo collocutum esse (ep. 196, 8) „Demetrium virorum optimum mecum circumfero et *relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor,* illum admiror". Accedit etiam, quod haec frustula non multis e verbis composita sunt et potestatem facile memoria tenendi dabant.

Alio modo citat de benef VII, 1, 2 „egregie enim hoc *dicere* Demetrius Cynicus *solet* et ep. 94, 19 eleganter Demetrius noster *solet dicere*". Quam tritam Cynicos excerpendi formulam, quae iam in Platonis Hippia saepissime invenitur, hoc modo explicat E. Weber[2]): semper id „quod iam Hippias apud Platonem Socrati exprobravit, de iisdem rebus verba facere (Diogenes) solebat, quo firmius ii, qui audirent, praecepta sua memoria tenerent, quo factum est, ut orator non suas sententias ipse proferre, sed illorum qui audiebant,

---

[1]) VII. 42, VIII. 20 sq.

[2]) De Dione Chrysost. Cyn. sectatore. Leipz. Studien 1887, p. 209.

cogitationum quasi interpres esse videretur. Haec causa est, cur tam saepe Cynicorum dicta his verbis a scriptoribus inducantur εἰώθει δὲ λέγειν (Diog. Laert. VI, 38) vel his πολλάκις ἔλεγε (ilid. 24, 44). Nonnumquam Stentoris voce auditores clamantes increpuerunt (vide imprimis Diog. Laert. VI, 44 ἐβόα πολλάκις λέγων." Simili modo Lucianus de salt 63. Demetrii verba repetit ἀνέκραγε γὰρ καὶ μεγάλῃ τῇ φώνῃ ἀνεφθέγξατο, Restat genus (Luc. adv. ind. 19) ἁρπάσας (sc. Euripidis Bacchas) διέσπασεν αὐτὸ εἰπών; Epict. diss. I., 25, 22 διὰ τοῦτο εἰπὼν Νέρωνι et Senecae de beneff. VII, 9, 1 „Demetrio si res nostras aliquis deorum possidendas velit tradere sub lege certa ne liceat donare, adfirmaverim repudiaturum dicturumque"... quo loco cum quadam libertate pro suo ingenio Demetrii doctrinam profert. Quae omnes fere formae bene cum compositione chriarum congruunt, de quibus Quintilianus (inst. or. I, 9, 4) „chriarum plura genera traduntur; unum simile sententiae, quod est positum in voce simplici «dixit ille» aut «dicere solebat», alterum, quod est in respondendo «interrogatus ille» vel «cum hoc ei dictum esset», tertium huic non dissimille, cum quis non dixisset aliquid sed fecisset. Etiam in ipsorum factis esse chriam putant ut Crates, cum indoctum puerum vidisset, paedagogum eius percussit". Bene ultimum chriae genus illustrat (Luc. adv. ind. 19), ubi Demetrius Bacchas Euripidi ἁρπάσας διέσπασεν.

Quibus observationibus perpensis concludere possumus, quod iam Arnim (Paul-Wiss, Realenc.) animadvertit Senecam, nonnulla fragmenta consuetudini cum Demetrio debuisse. Iam supra monui verisimile esse fontem nonnullorum Demetrii frustulorum scholas ipsius fuisse (sic dial. I, 3, 3, et I, 5, 5; ep. 67, 14; 94, 19; nat. quaest. IV. a praef. 7; de beneff. VII, 3, 1). Corroborat fortasse hanc opinionem fragmentum de beneff. VII, 9, 1, ubi cum longius fragmentum citet, non ad verbum Demetrium repetit, sed quasi suae diffideret memoriae, diatribam vestigia eius premens fingebat: simili modo citat Pollio Musonium (cfr. p. 76, 16 H. τότε μὲν τοιαῦτά τινα εἶπεν aut p. 94, 9 H. τοιάδε τινα εἶπεν). E Luciani adv. ind. 19 et Epicteti diss. I. 25. 26 apophthegmatis credo etiam apophthegmata Demetrii divulgata esse. Longius a Seneca traditum frustulum (de beneff. VII. 1) coniectare nos cogit Senecam etiam Demetrii scripta in manibus habuisse. r. p. tr.

Ad Senecae de clementia I, 6, 1.

scripsit Stanislaus Zetowski

cogitato, in hac civitate, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur, quotiens aliquid obstitit, quod cursum eius velut torrentis rapidi moraretur, in qua tribus eodem tempore theatris *viae postulantur,* in qua consumitur, quidquid terris omnibus aratur, quanta solitudo ac vastitas futura sit, si nihil relinquitur, nisi quod iudex severus absolverit.

Omnes codices lectionem *viae* (ex uvae L) servaverunt. Iam viri docti loco corrupto lucem medicinamque afferre conati sunt; Gertz emendavit in *populo stipantur,* Hosius scripsit *caveae.* Sententiae Senecae sensus dilucide apparet atque cernitur. Est enim hic: Seneca vult magnitudinem Romanae civitatis demonstrare; cui proposito serviunt etiam verba „in qua tribus eodem tempore theatris viae postulantur". Ita et Gertz intellexit et corruptam lectionem tollens correxit in „*populo stipantur*". Qua in sententia Seneca, ut civitatis Romanae magnitudinem depingeret, dicit tribus eodem tempore theatris fabulas agi. Hosii coniectura *caveae* (locus, quem spectatores explebant) non probabilis mihi videtur. Propono in *mimi postulantur* mutare, quod sensui videtur satis convenire; cuius emendationis ansam Gertzi coniectura mihi dedit, qui sententiam Senecae eodem modo atque ego, ut supra demonstravi, intellexit atque explicavit. Originem corruptelae perfacile illustrare possumus; codex exhibebat genuinam lectionem *mimi,* quam ut scriba explicaret, scripsit super mimi *exodia* (id est genus mimorum); alius scriba, qui vidit supra scriptum exodia, ut Graecae linguae scientiam ostentaret, vertit lectionem in *viae.*

O tłumaczeniu Moralij Plutarcha z XVI. w.

przez M. K. (Mikołaja Kochanowskiego).

napisał Stanisław Zetowski.

Sinko we wstępie, napisanym niedbale do wydania Plutarcha „Żywotów sławnych mężów" (Bibl. nar.), pisze o tłumaczeniu Moralij przez M. K., opierając się na wzmiance

o niem w artykule Śliwińskiego „Plutarch w Polsce w w. XVI.“ Eos. 1910. str. 146. tak: „z zachęty Jana Zamojskiego przełożył *wszystkie* Moralja Plutarcha na polskie M. Koch. (młodszy brat Jana, autor Rotutów) ale nie doczekał się wydania swego przekładu ani za życia um. 1582 ani po śmierci mimo starań Szymonowicza w r. 1615. Rękopism (foljant o 474 str.) do dziś leży nie wydany (i mało tykany) w Warszawie w Bibljotece Ordynacji Zamojskich. Ma on tytuł Plutarchus autor grecki przełożony na język polski przez M. K. Główną trudnością w wydaniu tego przekładu była zdaje się jego wielka objętość“. Śliwiński dodaje jeszcze, że przekład powstał przed r. 1582 t. j. r. śmierci M. K. Bawiąc w Warszawie postanowiłem zbadać prawdziwość słów Sinki. Zaraz na początku nadmienię, że twierdzenie Sinki jakoby Mikołaj był młodszym bratem Jana K. jest błędne; pisząc „na zamówienie“ nie miał czasu Sinko zaglądnąć do dzieł odpowiednich, bo byłby dowiedział się, że Mikołaj to brat raczej starszy Jana. Ale zacznijmy od opisu rękopisu.

Rękopism, oznaczony Nr. 94., foljant zawiera faktycznie 474 kart, nie licząc 3 wolnych kart na początku i wyrwanych w środku po k. 399 sześciu czy więcej kart. Na okładce po stronie wewnętrznej łacińskie przysłowie „quidquid per virtutem fit, sol haud viderit“. Pierwsza strona zawiera następujący tytuł ujęty w ornamenta „Plutarchus autor grecki przełożony na język polski przez M. K.“ i podpis Simonis Simonidis może własnoręczny. Na kartce 2. prawdopodobnie dedykacja ale tylko zaczęta pisać i to tak niewyraźnie, że trudno odczytać, przypuszczalnie zawiera się w tych słowach: Postanowione (raczej postanowienie) między Ich mością (moszczą) panami to jest dworzami (czy dworzanami) Jegomości Pana Podskarbiego... na tem się urywa; na następnej stronie ex libris Simonis Simonidis, a więc przekład był własnością Szymona Szymonowicza. Na kartce ostatniej po skończeniu tłumaczeń dwuwiersz „poczciwie żyć na świecie to moje staranie — ostatek ja w ręce twe policzam mój Panie“ i podpisany Powierski (poczciwye zyc na swyeczye tho moye staranye — ostatek ya w ręcze thwe polyaczam moy Panye (formę polyaczam czy policzam spotykamy w Lindego słowniku w znaczeniu poruczyć). Poczatek tego rękopisu do k. 361 pisany b. starannie, od k.

361 do 425 pisany *inną ręką*, z daleko mniejszą starannością; od k. 425 do końca pisany innym atramentem i innym charakterem pisma. Pierwszą część (t. j. do 361 k. zawiera mnóstwo przekreślań w tekście i poprawek jużto nad wierszami jużto na marginesie (zwłaszcza uzupełnianie opuszczonych lub skróconych miejsc oryginału w tłumaczeniu) robionych inną ręką. Prócz tego spotykamy tutaj na marginesie glossy, objaśnienia (np. k. 267 pr. man.) trophea slupi albo drzewa przybrane zbroją nieprzyjacielską. Druga część nie jest wolną też od poprawek zwlaszcza tłm. pisma o zachowaniu dobrego zdrowia; trzecia część prócz pisma „iż filozofowi trzeba z wielkimi pany...“ jest prawie niepoprawianą. K. 399 kończy się notatką „o znakach pomnażania cnoty vide alio loco“; po tej karcie następowało jeszcze kilka, prawdopodobnie 6 kart, dziś wyrwanych, może zawierających jakiś przekład; dzisiaj wobec tego, że następna karta tj. 400 zawiera dalszy ciąg pisma o znakach itd. niema żadnej luki ani przerwy w numeracji pagin. Poprzedzone jest tłumaczenie spisem dziełek tłumaczonych. (k. 3 wewnątrz). Na początku data *Anno Domini 1540*, a więc przekład istniał już w r. 1540. Dalej Liczba[1]) Ksiąg Plutarchowych. Z pierwszego tomu: 1) O dobrej myśli i spokojnym żywocie. 2) O uspokojeniu żałości, gdy syn albo miły przyjaciel umrze. 3) O wygnaniu z ojczyzny. 4) O póżnej pomście bożej. 5) O szkodliwem sromaniu. 6) O świegotaniu. 7) O dowiadowaniu spraw i tajemnic cudzych. 8) O hamowaniu gniewu. 9) O chciwości bogactw. 10) O cnocie. 11) O złości, że sama nieszczęśliwym człowieka uczynić może. 12) Jeśli choroby duszne albo cielesne są szkodliwe. 13) Panom wielkim potrzeba nauki. 14) Jako rozeznasz pochlebcę od przyjaciela. 15) Jako z nieprzyjaciela pożytek sobie uczynisz. 16) O chowaniu przyjaźni z wielem ludzi. 17) O wychowaniu dziatek. 18) Małżeńskie powinności. 19) Grillus. 20) Zaczne (sic) białogłowy. 21) Paralella. 22) Przykłady miłości. 23) Biesiada siedmiu mędrców. 24) O dowcipie i rozumie tak ziemskich jako i morskich zwierząt. 25) Trafne rzeczenia co przedniejszych królów *a*) greckich panów. *b)* rzymskich panów. 26) Rozmaitych Spartanów. 27) Białych głów spartańskich. 28) Królów spartańskich.

---

[1]) Podaję według pisowni dzisiejszej.

29) Stare ustawy spartańskie. 30) Gadki biesiedne. 31) Problemata. 32) O przyczynach przyrodzonych. 33) Zdania filozofów. 34) O jedzeniu mięsa. *Z trzeciego tomu.* 35) O zachowaniu zdrowia. 36) O szczęściu rzymskiem. 37) O cnocie i szczęściu Aleksandrowem. 38) Politika. 39) Jeśli stary ma rządzić rzeczpospolitą. 40) Ziwoty siedmiu (sic) oratorów. 41) O przyrodzonej miłości rodziców przeciwko Plotowi (sic). 42) Jeśli woda albo ogień pożyteczniejszy. 43) O trzech rodzajach rzeczypospolitej. 44) O dziwniejszej nauce stoików myśli poetów. 45) Do żony. 46) O życiu córki swej. 47) O fortunie. 48) O urzędzie i powinności auditora. 49) Jako młodszy ma czytać poetów. 50) Jako kto poznać może, że się już w cnocie i w dobre obyczaje wprawił. 51) O cnocie, że się nie trzeba uczyć przeciwko Kollotowi Epikurowi. 52) O różnicy między nienawiścią a zazdrością. 53) O cnocie, które do obyczajów należy. 54) O filozofie, że ma najwięcej z pany dysputować. 55) Jeśli to dobrze rzeczono żyć co najnieznaczniej. 56) O nie przystojnem płaceniu lichwy. Tyle wylicza skorowidz pisany tą samą ręką, która początek rękopisu pisała. Czy wszystkie wyliczone pisma przetłumaczone znajdują się w rękopisie? Nie; te tylko pisma w tłumaczeniu są w rękopisie: 1) O dobrej myśli i spokojnem żywocie (k. 1—25) = de tranquilitate animi[1]). 2) O uspokojeniu żałości, gdy syn albo miły przyjaciel umrze (k. 15—34) = de consolatione ad Apollonium. 3) O wygnaniu z ojczyzny (k. 34—44) = de exilio. 4) O późnej pomście bożej (k. 44—68) = de his, qui sero a numine puniuntur. 5) O szkodliwem sromaniu (k. 68—79) = de vitioso pudore. 6) O świegotaniu (k. 79—96) = de garrulitate. 7) O dowiadowaniu spraw i tajemnic ludzkich (k. 96—108) = de curiositate. 8) O hamowaniu gniewu (k. 108—127) = de cohibenda ira. 9) O chciwości bogactw i dobrego mienia (k. 127—134) = de cupiditate divitiarum. 10) O cnocie (k. 134—137) = de virtute et vitio. 11) Sama złość i niecnota człowieka nieszczęśliwym uczynić może (k. 137—141) = an vitiosias ad infelicitatem sufficit. 12) Jeśli wrzody duszne albo cielesne są szkodliwsze (k. 141—143) = animi an corporis affectiones sunt peiores. 13) Panom wielkim potrzeba nauki (k. 143—149) = ad principem ineruditum. 14) Jako rozeznasz pochlebcę od

[1]) Łacińskie tytuły z wydania Xylandra 1572.

przyjaciela (k. 149—190) = quomodo possit adulator ab amico internosci. 15) Jako z nieprzyjaciela pożytek sobie uczynisz (k. 190—201) = de capienda ex hostibus utilitate. 16) O chowaniu przyjaźni z wielem ludzi (k. 201—208) = de amicorum multitudine. 17) O wychowaniu dziatek (k. 208—222) = de liberis educandis. 18) Małżeńskie nauki do Polliana i Eurydiki (k. 222—231) = praecepta coniungalia.

